C

NOMINA.

ΙΡΙΣ Græcis, Iris Latinis appellatur: officinis ſuam appellationem retinuit. Germanis blaw Gilgen/ blaw Schwertel/ Veielwurtz dicitur.

Iris unde dicta. A cœleſtis arcus ſimilitudine, quam flores eius repræſentant, ut paulò pòſt dicemus, nomen accepit Iris. Sunt qui non ſine pudendo errore aliam aſsignent herbam recto, aliam caſui paterno, ita ut Iris ab Ireos, tanquã purpureus color à niueo, diſtingui putetur imperitis herbarijs. Promanaſſe autẽ hunc errorem ex græca uoce λείριον, qua Lilium, quod candidos profert flores, genti illi ſignificatur, parum per unius literæ abiectionem deprauata, ueriſimile eſt. Primam nanque literam abijcientes, ultimam uerò in σ uertentes, εἶρις dixerunt pro λείριον. Sed hæc opinio indigna eſt quæ explodatur, cum Dioſcoridem & alios ueteres omnes ſeorſim de Iride & Lirio ſiue Lilio agere conſtet.

Cauſa uulgaris erroris.

FORMA.

Folia Gladiolo ſimilia fert, maiora tamen, latiora & pinguiora. Flores in caule æqualibus inuicem ſpacijs diſtantes, inflexi, uarij. Aut enim candidi, aut uirides, aut lutei, aut purpurei, aut cœrulei conſpiciuntur. Vnde ob hanc uarietatem arcui cœleſti aſsimilata eſt. Radices ſubſunt geniculatæ, ſolidæ, odoratæ: quæ ſimulatq; fuerint diſſectæ, ſiccantur in umbra, & filo traiectæ recondunt. Hæc Dioſcoridis pictura tota huic herbæ, quam Irim hodie herbarij & officinæ uocant, ſuffragat. Siquidem ea radicibus nititur ſolidis, geniculatis & odoratis, adeò ut uiolarũ purpurearũ odorem prorſus referre uideatur, & hoc nomine à Germanis noſtris Veielwurtz/ hoc eſt, Violacea radix, ſit appellata. Folia Gladioli faciem ſimulant, maiora duntaxat, latiora & pinguiora. Caule recto ſeſquipedali, è cuius faſtigijs pari interD uacante ſpatio flores erumpunt, inflexis mutuò foliorũ labris, qui nitent uaria colorum miſtura, inſtar cœleſtis arcus. Quemadmodũ enim aquarius ille arcus, qui eſt imago malè expreſsi ſolis, caua nube recepta, uarios mentitur colores, ſic ut cœruleas, uirides, luteas, purpureasq; lineas ducat, ita cauo calyculi ſinu uerſicolores lituras flores oſtendunt, qua diuerſa ſpecie cœleſtem æmulantur arcum. Falluntur itaque qui in toto floris ambitu huiuſcemodi uarietatem perquirunt, cum inflexa foliorum labra uel purpureus, uel cœruleus ſemper color inficiat.

Violacea radix.

LOCVS.

Paſsim in hortis & macerijs uinearum prouenit. Laudatiſsima tamen eſt quæ in Illyrio & Macedonia naſcitur, & melior inter has quæ denſa & breui radice conſtat, quæque frangenti contumax eſt, colore ſubruffa, admodum odorata, guſtuq; feruida.

TEMPVS.

Floret uere, Maio potiſsimũ menſe, quo ſanè tempore flores colligi debent. Radices autem ſuo tempore, hoc eſt, autumno.

TEMPERAMENTVM.

Iris in altero calefacit ordine, in tertio aũt deſiccat. Abſtergit quoq; & maturat.

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Irides omnes calefaciendi extenuandiq; uim obtinent. Contra tuſsim efficaces, humoresq; nõ facilè excreabiles extenuant. Biles ex hydromelite drachmarum ſeptem pondere potæ purgant. Somnum conciliant. Lachrymas cient. Torminibus medentur. Cum aceto potæ uenenatorum morſibus, lienoſis, conuulſis, refrigeratis, rigentibus, & quibus genitura effluit, auxiliatur. Menſes cum uino potæ ducunt. Decoctũ earum ad muliebria fomenta utile, molliens aperiensq; locos. Iſchiadicis infunditur. Fiſtulas & ſinus carne explent. Quinetiã glandis modo cum melle appoſitæ, fœtus extrahunt. Strumas ueteresq; durities coctæ & illitæ emolliunt.

Aridæ



IRIS
GERMANICA.